

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 3474

**Auteur(s) :** Rouen, Prêcheurs (prieur)

**Bénéficiaire(s) :** Louis IX, France (roi)

**Genre d'acte :** lettre

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1243, 30 juin

**Action juridique :** autre

**Langue du texte :** latin

## Analyse

En remerciant à Louis [IX], roi de France, des donations qu'il leur a faites à Rouen, le prieur et les frères des Dominicains de Rouen lui promettent de célébrer son obit tous les ans après sa mort.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 450, p. 74.

Texte établi d'après a

Excellentissimo domino, Ludovico, Dei gratia, Regi Francorum illustri, devoti ejus prior et totus conventus fratrum predicatorum Rothomagi, salutem et tam salubriter regnum gubernare terrenum, ut tandem felici commercio perveniat ad regnum celorum. Ex multis circonstanciis vestre nobis donationis effectum commendantibus, vestre clementie pensantes affectum, utpote qui in Rothomago, regia civitate, locum castri regii, tantum quandam regum et principum frequencia honoratum, et adhuc utilitati regie pluribus modis aptum, nobis ad erigendum turrem David, ad figendum tabernaculum Deo Jacob, videlicet ad claustrum nostri ordinis, contra exercicium viciorum, contra phalanges demonum, construendum, tam libere, tam liberaliter, pietatis intuitu, donavistis, ad condignas vestre celsitudini graciarum actiones agendas, parvitatem nostram non sufficere confitemur. Sed dominus noster Jhsus Xpistus, pro cuius honore pariter et amore vestra devocio istud et alia bona fecit, ex quo et sufficiencia nostra procedit, et insufficiencia recipit supplementum, sufficienter immo affluenter, in presenti graciā pro gracia, et supereffluenter in futuro gloriam interminabilem vobis reddat, et, ne a retributione tanta piissimus retributor nequissimi hostis fallacia vos defraudari permittat, nos qualescumque servulos Xpisti, qui primi locum ingrediemur predictum, et fratres alios, quos nobis in multo numero et non in parvo merito speramus in loco prefato, Dei providencia, perpetuo successuros, intercessores et advocatos de cetero speciales habebitis in curia summi Regis. Cum enim in tam caro loco nos, quasi filios in propria camera, excellentia vestra curaverit collocare, vos non inmerito in cordium nostrorum intimis, vere ut patronus, et verius sicut pater, speciale et precipuum de cetero locum optinebitis, Deo dante. Et ut in aliquo vos cerciorem reddamus, preter communem participationem omnium bonorum, que tam nos quam omnes fratres nobis in loco successuri prefato, adjuvante divina gratia, de cetero faciemus, hoc vobis speciale promittimus quod, post decessum vestrum, cum pro vobis idem quod pro magistro ordinis nostri defuncto factum fuerit in nostro conventu, hoc addemus quod nec pro magistro ordinis faciemus, nec pro alia quacumque persona, excepta excellentissima domina matre vestra ; proponimus nos facturos, videlicet quod conventus noster, in loco predicto militans Domino, singulis annis vestrum anniversarium sollempniter celebrabit, et ultra hoc sacerdos quilibet circa tempus anniversarii vobis unius misse suffragium superaddet. Hujus igitur promissionis tam nos quam successores nostros sub presentium litterarum testimonio constituimus debitores.

Valeat semper in Xpisto regia majestas vestra. Datum anno Domini M<sup>o</sup> CC<sup>o</sup> XL<sup>o</sup> tercio, in crastino festivitatis apostolorum Petri et Pauli.